26

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE UTERINA GRAVIDARUM HÆMORRHAGIA,

QUAM

PRÆSIDE SUMMO ARCHIATRO

EX JUSSU ET DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA ARGENTINENSIUM ACADEMIA

PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS,

Placido Eruditorum Examini

SUBJICIET

IOHANNES ANTONIVS FRIDERIC

Hamburgenſis.

Ad D. [illegible] Febr. M DCC XXXII[illegible]

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS HEINRICI HEITZII.

VIRO

PER ILLVSTRI, GENEROSO ATQVE EXCELLENTISSIMO,

DOMINO,

Dn. JOH. BENIAMINO STEINHÆVSER,

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET SAXONIÆ ELECTORI,

A CAMERAE CONSILIIS,

SALINARVM PER POLONIAM PRÆFECTO

Nec non

JVDICII, QVOD THESAVROS REGIOS ADMINISTRAT, COMMISSARIO ET ASSESSORI

VNDIQVAQVE GRAVISSIMO, SPLENDIDIDISSIMO

MAECENATI ET PATRONO

SVO GRATIOSO,

T PRO IMMENSIS IN SE COLLATIS BENE-
FICIIS, ATQVE TOT TANTISQVE FAVORIS SVMMI
SPECIMINIBVS HVCVSQVE EXHIBITIS

*VBLICVM GRATISSIMI ET DEVOTISSIMI
ANIMI MONVMENTVM EXTET,*

HOC QVICQVID EST PAGELLARVM

VM ARDENTISSIMO PERENNIS FELICITATIS VOTO
SVBMISSA MANV AC MENTE

D. D. D.

JOH. ANTON. FRIDERICI,
Hamburg.

B. C. D.

§. I.

SUmmos in Medicinâ ambiens honores, neſcius non eram, publicum prius Eruditorum judicio de arte medica ſubjiciendum eſſe ſpecimen: Vaſtum itaque artis Aſclepiadis percurrens campum, innumera quidem ſe ſtiterunt merito eruenda. Verum enim vero! quam plurima eorum ita ſunt abſcondita, ut fruſtra hactenus acutiſſima eruditorum defatigarint ingenia, diu hinc multumque de eligendo Diſſertationis dubius hærens argumento, Hæmorrhagiæ tandem Uteri Gravidarum accuratiorem evolutionem ſcopo meo haud inveni incongruam. Non deſunt quidem inter celeberrimos Medentum, qui hunc morbum generi humano quam maximè exitioſum magna expoſuerunt eruditione, & ſalutaribus illuſtrarunt obſervationibus, non pauca tamen circa ipſius ſigna, cauſas & curam veniunt addenda.

§. II.

Propoſito meo ut ſatisfacerem, exactam uteri deſcriptionen anatomicam, quoad ſitum, figuram, ſubſtantiam, vaſa ſanguifera, ligamenta &c. non ſine ratione quis à me exiget; ne autem in rebus ab aliis accuratè ſatis deſcriptis prolixus ſim, præmeditato labori huic ſuperſedebo conſilio, ad illuſtres potius ſcientiæ anatomicæ Principes, MORGAGNUM, WINSLOVIUM, SVVAMMERDAM, DE GRAAF, HEISTERUM &c. benevolos remittens lectores.

§. III.

Nec minori jure à me forſan requiritur, Conceptionis, Generationis & Formationis humanæ exhibere negotium: Quemadmodum vero abſtruſiſſima naturæ myſteria rite extricare velle, vix magna volumina ne dicam exiguæ hæ pagellæ ſufficerent, ad illuſtres iterum qui hac de re ex profeſſo ſcripſerunt Autores, penitius perſcrutantem ablego.

§. IV.

Ad Scopum meum jam propius accedere licebit, poſtquam neceſſaria de Hæmorrhagiis in genere propoſuero.

§. V.

Quamlibet Sanguinis eruptionem præprimis largam, quæ vires debilitat, functiones lædit, faciei colorem fœdum inducit, pulſum languidum & frequentem reddit, cum lento æſtu, appello Hæmorrhagiam, & quidem activam ſi à motu interno, paſſivam ſi à manu Chirurgica vel alia cauſa violenta externa producitur. De paſſivis ſermo hic mihi non eſt, de activis mox paucis ſum acturus.

§. VI.

Sanguinis eruptiones activæ, quæ Hæmorrhagiarum veniunt nomine, ratione locorum ex quibus, & ratio-

ratione temporis, quo proſiliunt, in Medicorum Scholis ſequenti modo diſtingui ſolent: Sanguinis eruptionem largam è naribus, Hæmorrhagiam narium vocant, è pectore hæmoptyſin, è ventriculo vomitum cruentum, per urethram mictum cruentum, ex vaſis hæmorrhoidalibus, hæmorrhoidum fluxum, his addi poſſunt caſus rariſſimi, ubi ſanguis ex uno vel altero membro vi interna erumpit, de quibus legi meretur exemplum, cujus *Illuſtr.* STAHLIUS mentionem injecit, in diſſertatione: *De Motu Tonico Vitali.* Recenſitæ hæ omnes hæmorrhagiæ utrique ſexui ſunt communes, reliquæ autem mox recenſendæ ſequiori ſoli ſunt propriæ, nempe: nimius menſium fluxus, lochia excedentia, enormis ſanguinis fluxus, quem fœminæannoſiores experiuntur, quibus menſtrua non amplius ordinatè fluunt, & tandem hæmorrhagia uteri gravidarum. Reliquas omnes transmittimus, ſolam uteri hæmorrhagiam gravidarum pro viribus perluſtraturi.

§. VII.

Illam ſanguinis ergo eruptionem ex ipſo uteri cavo tempore graviditatis provenientem, veram appello uteri hæmorrhagiam gravidarum, dico ex ipſo uteri cavo, ne confundatur cum fluxu ſanguinis moderato, quem certa individua ſine & matris & fœtus detrimento ſingulis menſibus experiuntur, quem vero ex uteri cavo provenire, pro impoſſibili à me habetur, quamquam autopſiæ anatomicæ ex inſpectione cadaverum fluxu menſium defunctorum deſumptæ, nullo modo contrarius ſum, quod nempe omnis menſium fluxus, in ſtatu non gravido, ex ipſo uteri cavo, aliquando etiam ex uteri cavo & vagina ſimul ſcaturiat; magis tamen cum REGNERO DE GRAAF & *Celeb*, FRIDERICO HOFFMANNO menſes

 gravi-

gravidarum non ex cavo, ſed ex vagina uteri provenire ſentiendum eſſe exiſtimo, id quod cauſæ infra indicandæ dilucidius manifeſtabunt.

§. VIII.

Hæmorrhagiæ uteri tempore & veræ & falſæ graviditatis oriuntur.

§. IX.

Si fœtus ſtricte ſic dictus vel bene formatus, vel monſtroſus in Utero hoſpitatur, graviditas dicitur vera, ſi vero aliud quid in Utero continetur, falſam appello.

§. X.

In falſa graviditate, vel cruor grumoſus ſolùm, vel Mola uterum onerat. Cruor grumoſus nec diu in utero morari, nec graviditati proprie loquendo adnumerari poteſt, geſtatio molæ vero ad illas merito refertur.

§. XI.

Molam intelligo maſſam carneam informem ſine ſecundina, (a) quæ paucis ſolummodo vaſis ſanguiferis Utero adhæret, per quæ nutritionem ad expulſionem uſque recipit.

§. XII.

Fœtus utero longe firmius eſt affixus; nam non ſolum per placentam cum illo connectitur, ſed & ipſum Chorion cum toto uteri cavo per filamenta cohæret, quæ filamenta, vaſa forte liquorem amnii ſecernentia conſtituunt, vid. Joh. Maur. Hoffmann: *Idea Mach. Hum. Sect.* 13. unde oſcula etiam vaſorum ſanguiferorum geſtationis tempore arctius præcluduntur, quæ alias ſola tenuiſſima membrana reticulari ſunt obducta.

§. XIII.

Me quidem non latet, multos contra Chorii adhæſionem per totam uteri ſuperficiem internam valde militare,

(a) vid. HENR. à DEVENTER Novum lumen Art. obſtetric Cap. 33.

tare, iis autem aſſentiri non poſſum, propria experientia contrarii convictus. Licuit mihi nempe quinque abhinc menſibus ſectioni aſſiſtere ſœminæ paulo ante partum defunctæ, ubi utero perpendiculariter diſſecto, infantem invenimus in ſitu naturali & Chorion uteri parietibus per ſupra memorata filamenta ubique affixum, ne dicam, de obſervationibus quæ obſtetricantibus quotidie occurrunt dum placentam manu ex utero eximunt.

§. XIV.

Niſi itaque vel placenta vel Chorion ab utero, vel uterus à placenta vel Chorio divellatur, nullam uteri hæmorrhagiam in vera graviditate oriri poſſe, unusquisque mecum facile comprehendet, hujus autem nexus diſſolutionem multis modis procreari ſequentia indicabunt.

§. XV.

Sanguis quantitatem debitam transcendens & vaſorum latera quaquaverſum expandens eorum oſcula aperit, aut latera diſplodit; Chorion vel ipſam placentam propellit vel attollit, quo facto ille uteri cavo infunditur, aliquando etiam ab ipſius turbato motu, dum quidem per arterias plus affluit, per venas autem non æque expedite refluit, unde ſtagnatio & inde producta acrimonia oritur, & vaſorum læſio inſequitur.

§. XVI.

Vel ſi a terrore vel alia de cauſa ſpaſmum inducente univerſalem, omnes corporis partes, & conſequenter etiam uteri fibræ ſimul & ſemel contrahuntur, Chorion fœtu & aquis repletum contractionem hanc aſſequi nequit, producitur inde ſeparatio, ſanguinis profluxus, orificium uteri aperitur, abortus inſequitur, unde terror gravidis ſumme noxius obſervatur.

§. XVII.

Placenta ſupra orificium adnata non minoris eſt periculi, nam, uterus per certum temporis ſpatium in omni dimenſione expanſus, latera ſua verſus fundum retrahit, exinde oſculum aperitur, dum hoc peragitur, uteri infimæ partes, circumferentia nempe oſculi à placenta divellitur, hinc placentæ vaſa aperiuntur, ſanguis tam e fœtu quam ex utero effluit, & mater & fœtus in ſummum vitæ periculum incurrunt, niſi manus perita iis quam citiſſime opituletur.

§. XVIII.

Ut autem menſium fluxus ab hæmorrhagico gravidarum bene diſtinguatur, ſigna tam utrique communia, quam unicuique propria Medico ſollicite ſunt expendenda.

§. XIX.

Et hic & ille fluxus gravidis vel plethora vel orgaſmo ſanguinis vel ejus dyſcraſia laborantibus facile contingit, ſi potui ſpirituoſorum indulgent, aut ſaltationibus vel aliis vehementibus commotionibus deditæ ſunt, vel ad iram vel alios animi affectus pronæ, tunc quandoque quaſi ex improviſo ſanguinis ſtillicidium e genitalibus experiuntur, quod ratione præcedentium, in initio vel ſatis placide ſine notabili virium jactura procedit, vel mox impetuoſe prorumpit, vel blande incipit, ceſſat, revertitur, ſed majori vi & quantitate, ut merito dubitetur, an menſium fluxus vel imminens ſit hæmorrhagia. Sequentia vero ſigna unum ab altero ſatis accurate diſtinguunt.

§. XX.

Menſtrua ſine ulla notabili moleſtia & quidem quam plurimum cum phaſibus lunæ ingruunt, vel eo tempore

quo

quo hanc excretionem extra graviditatem ſunt perpeſſæ, & raro ante menſem ſequentem recurrunt, nec uteri orificium aperiunt. Hæmorrhagiam vero ut plurimum præcedunt & comitantur, tenſio & inflatio hypochondriorum, dolor gravativus & preſſorius circa lumbos, quandoque cum ſenſu refrigerii junctus, partium extremarum refrigeratio, detumeſcentia vaſorum, color faciei pallidus, pulſus citatior cum internorum ardore, alvi ſtrictura & urinæ parcior fluxus. Quando ceſſat, brevi & quidem impetuoſior revertitur, nullum typum ordinatum ſervat, uteri orificium aperit, id quod pro infallibili pathognomonico ſigno habendum. Subjecta tamen bene ſunt diſtinguenda, ne error committatur, nam annoſioribus & iis quæ crebro utero geſtarunt præſertim ſi partus fuerunt difficiles, orificii uteri pars exterior nunquam fere tam arcte clauditur, ut ne digitum immittere queas, hoc tamen diſcrimine, quod iis, quæ nullam hæmorrhagiam patiuntur, non ad uteri cavum uſque digito penetrare poſſis, niſi ad ultimum geſtationis terminum pervenerint.

§. XXI.

Menſtrua gravidarum nunquam fere ſunt exitioſa, raro proinde egent medicatione, niſi animi & corporis tranquillitate, cum diæta menſtruatis conveniente, ſic placide decurrunt, imo non nunquam ſunt ſalutaria.

§. XXII.

Hæmorrhagia autem nunquam caret periculo, & magna in medendo opus habet circumſpectione, nam ratione circumſtantiarum quandoque ſola diæta & corporis & animi tranquillitate curatur, non nunquam vix pharmacis debellatur, quam ſæpiſſime vero citra fœtus vel molæ expulſionem vel extractionem nullo modo tollitur.

§. XXIII.

E ſupra dictis clare, uti opinor, patet, Chorion vel ex parte vel in totum & cum ipſa placenta ab utero poſſe divelli. Æque perſpicuum eſt quo major avulſio, eo fortior evadit hæmorrhagia ob plurimorum vaſorum ſanguiferorum denudationem, & oſculorum eorum aperturam vel laterum rupturam; & contra. Sicuti autem partes corporis recenter ſauciatæ facile conglutinantur, niſi nimio ſanguinis affluxu ex majoribus vel multis vaſis læſis, impediantur, ita etiam exigua Chorii ab uteri ſeparatio, diæta parca, tranquillitate, venæ ſectione, medicamentis ſanguinis orgaſmum compeſcentibus vel acrimoniam ejus infringentibus vel æqualem ſanguinis diſtributionem reſtaurantibus haud raro reſarcitur.

§. XXIV.

In tali caſu, qui cognoſcitur ab exiguo ſanguinis ſtillicidio, venæ ſectio revulſoria aliis medicamentis eſt anteponenda, poſtea temperantia ex Tartar. vitriolato, nitro & Cinnabari cum ſpeciebus de Hyacintho ſæpe, ſed refracta doſi, propinata egregium uſum præſtant. Ad ſpaſmum ſolidorum compeſcendum leniſſima opiata e. gr. M. P. de Cynogloſſa temperantibus adjungi poſſunt, interim humectantia & diluentia non ſunt intermittenda. Sic aqua pura frigida vel nitro parum alterata vel acidulata aliquando plus valet quam tota reliqua medicamentorum farrago, nec non julapium ex aqua burſæ paſtoris cum ſyrupo coralliorum. Bilioſis pro potu ordinario ſummopere conducit decoctum Citratum Mynſichti, interpoſitis aliquando laxantibus rhabarbarinis. Seroſis auxilium præbent pilulæ balſamicæ temperatæ vel Stahlianæ vel Beccherianæ vel ad modum eorum compoſitæ. Omnes autem has longe ſuperant pilulæ balſamicæ, Illu-

ſtri

ſtri cuidam Viro familiares, quas ingreditur Aloë ſero lactis certo modo præparata, cum extracto millefolii & aliis huic affectui ſummopere convenientibus. Nec externa medicamenta omni in hoc morbo carent efficacia, ſic manus aquæ tepidæ cum pauco vini immiſſa haud raro magnum præbet auxilium, it. flores balauſtior. roſarum, herba plantaginis &c. vino rubro cocta & in Cataplaſmatis forma regioni pubis frigidiuſcule applicata, medicamen eſt non contemnendum. Simulac vero vel totum chorion, vel & ipſa placenta ab utero eſt diſſoluta, vel ſi uterus a placenta divellitur, quod contingit, ubi placenta ſupra orificium eſt affixa, res jam conclamata eſt, tumque nec interna nec externa ullum uſum præſtant pharmaca. Ex alio itaque fonte auxilium hauriri debet, fonte nempe ex Chirurgico extractionem fœtus moliens, ut vel fœtus & matris, vel matris ad minimum vitam, quantum fieri poteſt, conſervemus. Chirurgicum hoc auxilium multi olim reformidarunt, (quia, dum quam plurimæ hujus generis hæmorrhagiæ ante ſeptimum, & quidem quam maxime tertio menſe accidunt, infans raro, vel nunquam conſervatur) uſque tandem experientia docuit nullum aliud ſupereſſe remedium, niſi & matrem & infantem præpoſtera religione ductus letho tradere velis.

§. XXV.

Hujus operationis neceſſitatem confirmant obſtetricantium peritiſſimi, ut & alii magni nominis Medici, ſic MAURICEAU *in Tract. de maladies des femmes groſſes l* I. C. 21. ejus neceſſitatem ſequentibus verbis innuit: *Quand le ſang coule ſubitement en ſi grande abondance qu'elle en tombe en frequentes ſincopes, ou bien en convulſion, c'eſt en ce cas qu'il ne faut plus differer l'operation, & qu'il eſt abſolument neceſſaire d'accoucher la femme, qu'elle ſoit à terme ou non, qu'elle ait les douleurs de l'accouchement, ou qu'elle n'en ait aucunes; d'autant*

 qu'il

qu'il n'y a que ce ſeul mojen pour lui ſauver la vie, & à ſon enfant; & ſi on ne le fait promptement, elle jettera avec le ſang les derniers ſoupirs. Hipocrate en a bien remarqué le danger dans l'aphoriſme 56. du 5. livre ou il dit: In fluxu muliebri, ſi convulſio & animi defectus advenerit, malum. Si au flux de ſang de la femme ſurvient convulſion & defaillance de Cœur, c'eſt un mauvais ſigne. Peritiſſimus LA MOTTE *in libro ſuo Traité complet des accouchemens inſcripto,* idem multis obſervationibus confirmat. Nec non HENR. à DEVENTER. *in Nov. Lum. Artis obſtetricandi Cap.* 33. *p.*144. de hæmorrhagiis gravidarum differens, ita inquit: *Nonnunquam contingit ut gravidis menſtrua ſtatuto tempore fluant, uſque ad partum, vel alio quodam fluore laborent extraordinario, qui quidem in lecto acquieſcendo, adhibitis Medicamentis ſive internis ſive externis ſiſti poterit, tunc non opus eſt excluſione; at, ſi fluor ortum trahat ex avulſione ſecundinæ, nullum illi ſiſtendo remedium relinquitur, præter celerem fœtus excluſionem, quæ nimis diu non differenda, periculum enim foret, ne gravida ſub manibus expiraret. Hæc fœtus excluſio poſt ejuſmodi hæmorrhagiam non ſolum ante ſeptimum prægnationis menſem, ſed etiam quocunque tempore, ſive ante ſive poſt ſeptimum menſem præſtanda eſt. Celeb.* FRID. HOFFMANNUS multiplici experientia edoctus in *Tom.* IV. *Medicinæ Ration. Syſtemat. Part.* II. *Sect.* I. *Cap.* V. De uteri hæmorrhagia ſequentia monet: *Vita valde periclitatur in iis, quæ ante partum fœtu exiſtente mortuo magnum ſanguinis patiuntur profluvium. Niſi enim extraordinario naturæ robore & præſentaneo medici auxilio fœtus excludatur, vel operatione Chirurgica opportune eximatur, mortem ſequi certiſſimum eſt.* Sic & THEODORUS DE MAYERNE *in Tract. de Cura gravidarum Sect.* XI. *p.* 52. extractionem chirurgicam ſuadet. CRANIUS *in Prax. Med. reform. Cap.* IV. *p.* 416. VAN SOLINGEN Vom Amt und Pflicht der Wehe-Mütter *Cap.* 15. VAN HOORN *in Tract.* Die von GOtt wohlbelohnte Wehe-Mütter *p.* 27. *&c.*

XXVI.

§. XXVI.

Recte Henr. à Deventer fœtus excluſionem non nimis diu eſſe differendam docet; nam ſi ex præſcriptione Mauriceau ad Syncopen parturientis uſque expectes, ægram cum fœtu expiraturam, non ſine ratione eſt timendum. Supra laudatus Hoffmannus, extractione Chirurgica ſolum opus eſſe exiſtimat, fœtu mortuo exiſtente; ſed meo judicio & fœtu adhuc vivo excluſione opus eſt, ſi vel maxime matrem conſervare intendamus. Van Hoorn hæmorrhagiam, de qua in præſentiarum agimus, ex ſola placentæ ſupra orificium uteri adhæſione deducit; aſt quod aliæ hujus adhuc dentur cauſæ a me ſatis demonſtratum eſſe arbitror.

§. XXVII.

Non pauci medicorum, medicamentis pellentibus expulſionem efficere conantur, operationem chirurgicam ad ultimum vitæ periculum differentes, ſed proh dolor! in plurimarum parturientium & infantum ſummam perniciem Nam, quid quæſo medicamenta pellentia in hoc caſu efficere poſſunt? præſertim ſi infans pravum habeat ſitum? an ne ſatis ſunt efficacia, ut fœtum invertere poſſint? Sin minus, quid illis intendimus? Si denique fœtus recte eſt locatus, omnia pellentia medicamenta ſanguini orgaſmum inducunt, eumque pariter ac fœtum pellunt, adeoque malum augent, quod tamen pro viribus eſt evitandum.

§. XXVIII.

Ut ergo ad chirurgicam operationem revertamur, primo notandum, illam, cum fœtus primis menſibus tenerior ſit quam ultimis, hæmorrhagiæ autem

omni tempore graviditatis à cauſa vel interna vel externa oriri poſſint, ſecundum infantis magnitudinem & conſiſtentiam eſſe inſtituendam, nec non orificii uteri rationem habendam. Proinde Medicus vel Chirurgus obſtetricans, ad gravidam primis menſibus hæmorrhagia uteri laborantem accerſitus, in ſitum commodum ægram collocet neceſſe eſt, poſtea manu vel digitis cruorem in vagina coacervatum removeat, digitum unum vel alterum orificio uteri immittat, eos hinc inde movens orificium ſenſim ſenſimque dilatare moliatur. Fœtum dum invenerit, pedes ejus duobus digitis, indice nempe & medio in uterum immiſſis, quaſi forfice arripiat, & ſic ſumma cum circumſpectione extrahat, non uno impetu, ſed manum hinc inde movens, ne fœtum adhuc tenerum diſrumpat, fœtu ſic extracto, digitos ſecunda vice utero immittat, ut nihil de ſecundinis vel ſanguine grumoſo in utero relinquatur, quod ejus plenariam contractionem impedire poſſit.

§. XXIX.

Fœtu vero robuſtiore jam exiſtente in eundem ſitum patientem ponat, remoto ſanguine grumoſo è vagina, digitum unum poſt alterum & totam tandem manum, per orificium uteri cavo immittere ſtudeat, orificium ſimul dilatando. Involucra infantis digitorum acuminibus diſrumpat, manu pedes infantis quærat, & tandem more debito extrahat, reliqua omnia in paragrapho præcedente de ſecundinis dicta, ſollicite obſervans. Hujus extractionis felices ſucceſſus multi, recenſentur a Mauriceau, la Motte, Henr. a Deventer & a multis aliis artis obſtetricandi gnaris.

§ XXX.

Reſtat nobis adhuc operatio illa ubi placenta ſupra orificium uteri eſt adnata, caſus ſane omnium aliorum

peri-

periculoſiſſimus. In hujus operationis deſcriptione ſummopere variant autores. Alii volunt placentam vel manu vel alio modo eſſe perforandam, poſtea fœtum per factam aperturam pedibus extrahendum, & denique reliquum placentæ, utero adhuc adhærens manibus ſeparandum. Alii totam placentam prius ab uteri orificio ſeparare conantur poſtea fœtum pedibus extrahunt. Utraque methodus admodum periculoſa eſt; nam diſrupta per medium placenta, magna liquoris vitalis quantitas, tam e fœtu quam ex matre, ſummo cum impetu effunditur, & fœtus raro vivus conſervatur. Placenta omnino ab utero ſeparata & ante fœtum extracta, infans non minus de vita periclitatur, dum circulatio ſanguinis per ſatis longum intervallum ſuſpenditur. Optimum itaque eſt ut obſtetricans placentam uno latere ſumma cum diligentia ab utero ſeparet, poſtea infantem pedibus extrahat, & fœtu ex utero excluſo reliquum placentæ, utero adhuc affixum, digitis placide divellat.

§. XXXI.

Poſt legitimam fœtus extractionem, hæmorrhagia quam plurimum ceſſat, tunc puerpera corporis & animi quietem ſibi commendatam habeat, primis diebus nullo alio utatur nutrimento quam ſolo juſculo carnis, ſequentibus vero diebus ipſi magis nutrientes cibi, imo & modicus vini uſus concedi poſſunt, in pauca tamen quantitate, ne chylus crudus generetur, & inde mali moris morbi poſt puerperium propullulent. Pro potu ordinario conducit, decoctum hordei,cum radicibus ſcorzoneræ & raſura Cornu Cervi, elæoſaccharo citri recens parato parum edulcoratum. Alvus ſemper aperta eſt ſervanda. Uterus optime expurgatur pilulis balſamicis vel Stahlianis vel

Beccherianis, vel quod melius ſupra commendatis. Abortus excluſio ſemper periculoſior eſt, fœtu legitimo tempore enixo, unde puerpera diutius lectum, ſtrictioremque diætam ſervet, neceſſe eſt. Omnes animi & corporis validiores commotiones ſummo ſtudio evitare debet. Analeptici loco eſſe poteſt, mixtura ex tribus aquis cordialibus, meliſſæ, cinnamomi, pulvere bezoartico Sennerti & ſyrupo florum tunicæ.

§. XXXII.

Si uterus a ſecundinis non ſatis fuerit purgatus, aut ante partum, vel in ipſa excluſione, vaſa ſanguifera nimium lædantur, præſertim majora, hæmorrhagia pertinaciter continuat. Si a retentis ſecundinis, remotio earum eſt ſuſcipienda; ſi vero a vaſis ſauciatis, ſanguinis impetum ſiſtentia, & vaſa conſtringentia, in auxilium debent vocari. Quos inter non infimum habet locum aqua gelida ſatis magna quantitate epota, vel linteis, regionibus lumbaribus, & umbilicali, frigide applicata. Medicamenta, ſic dicta interna adſtringentia, caute admodum ſunt adminiſtranda, nam aliquando ſanguinis profluvium plus augent, quam impediunt; non nunquam etiam in primas vias magis, quam in vaſa uterina agunt, meatus anguſtiores ſecretionibus inſervientes, conſtringunt, unde Chronicis Paſſionibus, Cachexiæ, Hydropi, Febribus lentis & hecticis fores pandunt.

§. XXXIII.

Opiata, nimium quidem ſolidorum motum infringunt, caute tamen admodum & parca manu ſunt porrigenda,

genda. Hoc monitum præcipue valet de iſtis compoſitis quæ ingreditur ſemen Hyoſcyami.

§. XXXIV.

Dolores poſt partum, qui frequenter hæmorrhagias abortuum ſequuntur, medicamentis carminativis leniſſimo anodyno remixtis egregie ſedantur.

§. XXXV.

Si vero hæmorrhagia, etiam adhibitis omnibus hactenus laudatis medicamentis, triſtem ſcenam ſuam ludere continuaret, ita, ut de vita ægrotantis metuendum foret; & fortiſſima adſtringentia externa in uſum vocanda ſunt. Sic Celeb. Hoffmannus enormem hæmorrhagiam molarem linteo contorto, ſolutione capitis mortui vitrioli imbuto, atque ita peſſi loco in vaginam immiſſo feliciter curavit.

§. XXXVI.

Superato periculo præomnibus regulæ diæteticæ ſtricte ſunt obſervandæ, nec minus omnia, quæ ſanguini, vel orgaſmum, vel lentorem inducere valent, ſummopere evitanda. Proinde motus corporis ſit moderatus, cibus ſiccus, modicus & ſalubris, concoctu facilis, non flatulentus, potus ſit aqua pura, vino rubro vel rhenano remixta. In primis ſeptimanis poſt ſuperatam talem hæmorrhagiam, nihil magis nocet quam veneris uſus, aër nimis æſtuoſus & intenſius frigus.

§. XXXVII.

Iis, quæ viſcerum obſtructione laborant, & ad hecticam

cam inclinant, ſummopere conducunt acidulæ cum lacte aſinino vel caprillo per aliquot tempus mane calide uſurpatæ. Tonus fibrarum uterinarum balneis & fotibus ſubadſtringentibus optime reſtauratur.

§. XXXVIII

Sed quotidiana edocemur experientia, illas puerperas quæ ſemel talem hæmorrhagiam ſunt perpeſſæ, in ſequente graviditate eodem tempore & fere eodem momento, quo antea in hoc malum inciderunt, iterum abortire, quamquam omnia in cura præteriti morbi quam diligentiſſime fuerint obſervata. Hujus phænomeni cauſam inveſtigatu difficillimam eſſe fateor, meam tamen hac de re opinionem eruditiorum judicio hic exponam.

§. XXXIX.

Manifeſtum eſt, vaſa, machinæ humanæ liquidum continentia, ex fibris conſtare longitudinalibus & transverſalibus ſeu circularibus, vel ſi mavis ſpiralibus. Ubi vas in longum extenditur, longitudinales, ſi vero diameter vaſorum amplificetur, transverſales magis patiuntur. Reſiſtentia vaſorum fluida continentium, proportionata eſt vi contenti tam diu, quam fluidum vel quantitatem vel motum ordinatum non transcendit, ſimulac vero vel quantitas vel impetus vim reſiſtentis ſuperat, vaſa vel mirum in modum extenduntur vel rumpuntur. Vaſa magnam expanſionem patiuntur, antequam diſſiliant, ubi fluidum contentum quantitate pedetentim augetur, vel fluidi motus gradatim procedit. Exemplum nobis præbet veſica flatu pedetentim extenſa cujus magnitudo mirum

rum in modum augeri poteſt, dum autem uno impetu aërem immittimus, eandem non acquirit magnitudinem, & fibræ transverſales diſploduntur. Æque perſpicuum eſt, quod in vaſe expanſo, fibræ magis a ſe invicem ſint diſtractæ, quam ubi hanc extenſionem non ſubeat, quo ergo minor vaſorum expanſio, eo major fibrarum numerus in minori ſpatio reperitur; proinde, ſi ruptio contingat, eo quod vas in majori eſt, extenſione, minoris fibrarum numeri diſploſione opus eſt, ut liquidum contentum effluere poſſit, quam ſi vaſa in minori ſunt extenſione. Partes ſauciatæ, cum reſarciantur, earum fibræ, per fibrillas inordinatum curſum ſervantes (quam fribrillarum congeriem vulgo cicatricem appellamus) ita firmiter ſibi invicem aggregantur, ut priſtinam expanſionem, vel diſtractionem a ſe invicem, amplius ſubire nequeant, ſi ergo magnus fibrarum numerus in facta ruptura fuit læſus, multarum etiam fibrarum firma conglutinatio ſequitur, & vas continens eo anguſtius redditur, cum vero eandem fluidi quantitatem in poſterum continere debet, quam antea recepit, eandem autem extenſionem amplius ſubire nequit, vel in eodem loco reſarcita, vel proximo diſplodat neceſſe eſt.

§. XL.

Hæc omnia ad uteri vaſa debite apllicans, quæſitum facile invenies. Ponamus enim robur partium ſolidarum in fœmina idem manere, ſanguis in præterito puerperio deperditus, per ingeſta reſarcitur, fœmina de novo imprægnatur, menſtrua retinentur, vaſa liquidi quantitatem commode recipiunt, uſque fere ad priſtinam pervenerint extenſionem, ſimulac vero ſanguis, vel ratione motus interni, vel ratione ſuæ molis priſtinum requirit

C ſpa-

ſpatium, vaſa magna parte extenſione deſtituta, ex neceſſitate eodem momento diſſiliunt, quo ſanguis vel quantitate, vel expanſione interna, ad priſtinum ſtatum redit. Hinc ſi vel moles, vel motus ſanguinis, vel ambo ſimul prius augentur, vaſorum diſruptio fit ratione temporis prior, ſi augmentum fit tardior vel impetus debilior, diſruptio etiam tardior contingit, ſi autem aliquando ita dirigi poteſt, ut ſanguis placidior augeatur, impetus verſus partes antea læſas avertatur, fibræ per cicatricem non ita firmiter intricatæ, majorem expanſionem ferunt, inde majorem ſanguinis quantitatem ad legitimum tempus uſque recipiunt.

§. XLI.

Proinde medicus omni ope cavere debet, ne in graviditate inſequente, ſanguinis quantitas multum augeatur, & impetus verſus loca antea ſauciata, omni cura impediatur. Commodiſſime hoc perficitur, primo, per bonam diætam a gravida ſolicite obſervatam, ſecundo per venæ ſectionem revulſoriam, & tertio per abſtinentiam ab omni vel animi vel corporis nimia commotione. Venæ ſectio a primo ingravidationis menſe eſt incipienda, ſecundo & tertio repetenda uſque ad dimidium geſtationis terminum & quidem paulo ante hoc tempus, ubi in ſtatu non gravido menſes erupuerunt. Si propter plethoram vel aliam cauſam ſanguis nimis verſus inferiora pellitur, venæ ſectio quovis menſe ad partum uſque ſine damno reiterari poteſt. Motus corporis ſit placidus ne ſanguini lentor inducatur, cibus modicus, potus tenuis aquoſus.

§. XLII.

Antiqui quidem religioni ſibi duxerunt, gravidæ ante

me-

medium geſtationis terminum venam ſecare, hac opinione innixi, quod adhibita venæ ſectione fœtus ſuo nutrimento defraudetur, cujus tamen in primis menſibus, majore quantitate opus haberet, quam ultimis. Lochia vero & enormes hæmorrhagiæ, nec non menſtrua earum gravidarum, quæ feliciter parturiunt, ſatis manifeſtant, ſemper fere plus ſanguinis contineri tum in toto corpore, tum ſpeciatim in uteri textura, quam ad infantis nutritionem requiritur. Imo quam ſæpiſſime nimis nutriuntur; raro autem, niſi mater valde ægrotat, a nutrimenti defectu pereunt. Utique notum eſt, parvum corpus, non tanta egere nutritione, quam majus, proinde levitas antiquorum argumenti, nullum cordatum medicum amplius a Venæ ſectione, ante medium terminum, deterret.

§. XLIII.

Quia in prægreſſis pagellis molæ mentio facta eſt, de provenientibus inde hæmorrhagiis, nec non de ejus legitima extractione, in præſentiarum agere, meum poſtularet officium, aſt dum exploratum habeo, Prænob. & Doctiſſ. Dn. Parrot fautorem & Amicum meum æſtumatiſſimum, brevi hanc rem ex profeſſo tractaturum, ejus inveſtigationem ei quam lubentiſſime cedam, & diſſertationi meæ, minime vero ſtudiis, imponam

FINEM.